

**IOACHIM LANGE (1670–1744)**  
**TIROCINII PARS DIALOGICA, continens**  
**CENTVRIAM COLLOQUIORVM (I)**

**Praefatiuncula commendaticia**

Hoc "Tirocinium dialogicum", quod infra scriptum est, ex eo libro scholastico depromptum est, cuius titulus plenus est hic:

**Joachim Langens**  
 Verbesserte und Erleichterte  
 Lateinische  
**GRAMMATICA**  
 mit einem  
 Paradigmatischen und Dialogischen  
**TIROCINIO.**  
 Neun und dreyßigste Edition,  
 Mit stehend bleibenden Schriften  
 aber  
 um mehrer Richtigkeit willen  
 Die zwanzigste.  
 CVM PRIVILEGIIS  
 Sacr. Caes. Maiestatis, Regum Poloniae ac Borussiae  
 nec non Electorum Saxoniae et Brandenburg.  
 HALLE  
 In Verlegung des Waisenhauses,  
 1777.

Hos centum dialogos pueriles exscripsi ad usum eorum, qui hodie quoque de rebus variis, maxime cottidianis atque scholasticis, Latine loqui student, ut habeant aliquot formulas simplices itemque satis bene Latinas. Qui dialogi demonstrent non 'humanistas' tantum 'colloquia familiaria' vel 'scholastica' composuisse,\*<sup>)</sup> sed etiam viros saeculorum posteriorum. Satis est mentionem facere de libris scholasticis, quos confecit **Joannes Anos Comenius** (1592-1671), princeps ille artis didacticae. Exemplar breve ex quodam eius libro depromptum abhinc duodecim annos in VOCE LATINA proposuimus.\*\*<sup>)</sup>

Joachimus Lange, qui vixit 26.10.1670 - 7.5.1744, theologus erat protestanticus iisque studiis favebat, quae **pietismus** dicuntur. Anno 1698 prorektor et moderator eius scholae Berolinensis factus est, cui nomen erat Lyceum Fridericianum vel Friedrichs-Werdersches Gymnasium. Cum anno 1700 ad universitatem studiorum Halensem (Halle) vocatus esset, tamen Berolini mansit ac deinceps duplici munere functus est et contionatoris ecclesiae et rectoris gymnasii. Anno autem 1709 iterum vocatus demigravit ad universitatem Halensem, ubi theologiam profiteretur usque ad mortem suam. Erat adversarius Ernesti Löscher, defensoris orthodoxiae Lutheranae, atque Christiani Wolff, philosophi illius prae-

\*<sup>)</sup> Cfr praefatio mea, qua **Johannis Posselii** (1528-1591) "Familiarium Colloquiorum Libellum" commendavi, in VOCIS LAT. vol. 13, 1977, 48-50, praecipue annot. 10.

\*\*<sup>)</sup> Cfr VOX. LAT. 12, 1976, 132-136: De arithmetica colloquium scholasticum.



clari Halensis.

Lange conscripsit cum alios libros (maxime theologicos, in quibus "Antibarbarum Orthodoxiae"), tum hanc "Grammaticam", cui subiunxit hoc "Tirocinium dialogicum", quo pueri Latine et legere et loqui discerent. "Grammatica" autem eius diutius quam centum annos non solum in scholis Halensibus vigeat, quas **Augustus Hermannus Francke** (1663-1727), ingeniosissimus ille vir scholasticus, condiderat, quo Lange familiariter utebatur, sed etiam in permultis aliis Germaniae scholis in usu erat. Hic liber grammaticus, primum anno 1707 in lucem editus, deinceps usque ad annum 1819 sexagies fere edebatur. F.A. Eckstein (1810-1885), rector scholae Thomanae Lipsiensis ac rerum didascalicarum vir peritissimus, quamvis colloquia ipsa Joachimi Lange vilia existimaret, tamen eum laudavit, quod magistris usum vivae vocis commendaverat.\*)

Lange autem ipse in capite 41 praefationis longae operis sui Theodisce conscriptae de his colloquiis eorumque commodis disserit atque colloquia aliorum auctorum imprimisque **Mathurini Corderii** (1480-1564)\*\*) commemorat, quae tamen nimis copiosa vel fusa nec suis institutis idonea iudicat. Genus sermonis, quo ipse in colloquiis conscribendis utitur, purum, emendatum, perspicuum, pueris aptum indolisque linguae proprium esse vult. Res autem, de quibus in colloquiis agitur, ad vitam communem illius saeculi pertinent, cuius studia scholastica adhuc vocabulis paene Latinis **pietismus** et **realismus** nominantur. Itaque haec colloquia scholastica, hoc loco in lucem revocata, lectoribus non solum incitamentum ad Latine loquendum, sed etiam quasi quoddam vitae scholasticae exemplum historicum (ut ita dicam) offerunt.

Ii autem lectores, qui de Joachimo Lange plura desiderant comperire, aliquid amplius invenient in hisce libris:

- 1) **Allgemeine Deutsche Biographie**, vol. 17 (1883). Berolini 1969, 634 sq.
- 2) **Eckstein, F.A.**: Lateinischer und griechischer Unterricht. Lipsiae 1887, 108, 142 sq., 187 sq.
- 3) **Lattmann, J.**: Geschichte der Methodik des Lateinischen Elementarunterrichts seit der Reformation. Gottingae 1896, 184-196.
- 4) **Müller, C.A.**: Geschichte des Friedrichs-Werderschen Gymnasiums zu Berlin. Berolini 1881, 17-26.
- 5) **Paulsen, F.**: Geschichte des gelehrten Unterrichts etc., 3., erw. Aufl. (1919). Berolini 1965. I 568 sq.; II 3, 142 sq.
- 6) **Pökel, W.**: Philologisches Schriftsteller-Lexikon (1882). Darmstadii 1974, 150.

Restat, ut orthographiam et interpunctionem plurimis locis a me ad hodiernum usum accommodatas esse dicam.

ANDREAS FRITSCH Berolinensis

\*) "Anzuerkennen ist, daß er [Lange] die Knaben nicht mehr mit Auswendiglernen gemartert wissen wollte, daß er auf die **viva vox** des Lehrers drang, ..." (Eckstein, p. 143)

\*\*\*) **Mathurin Corderius** (Marturin Cordier): Colloquiorum scholasticorum libri quinque. Basileae 1537. Lugduni 1654. Lipsiae 1733. 1780.



## 1. DECVRIA PRIMA: DE REBVS MATVTINIS

IOACHIMVS et CHRISTIANVS

### 1.1 De salutatione

I.: Salve, mi Christiane!  
 C.: Ago gratias. Tu quoque saluus sis, Ioachime!  
 I.: Non est, quod agas.  
 C.: Cur ergo salutas?  
 I.: Cur tu resalutas?  
 C.: Ex usu et vulgari consuetudine.  
 I.: Quid consuetudo? Animum requirit salutatio.  
 C.: Qualem vero?  
 I.: Meliorem tuo, hoc est, sincerum: qui, quae agit, ex adfectu agat, non ex sola consuetudine.  
 C.: Verum est, erravi; et agnosco errorem meum.  
 I.: Recte quidem; nam **erroris agnitio est dimidia emendatio.** [1]

### 1.2 De surgendi tempore

I.: Heus! heus! Christiane, expergiscere! Tempus instat eundi in scholam. Audisne?  
 C.: Non audio.  
 I.: Vbi ergo habes aures?  
 C.: In lecto ac somno.  
 I.: Quid loqueris, inepte?  
 C.: Non ineptio, sed dormio.  
 I.: Ineptis sane ac argutaris vigilans de somno.  
 C.: Certe dormio, si non auribus, tamen oculis, immo et animo; saltem dormire volo.  
 I.: Nunc autem non est tempus dormiendi, sed surgendi.  
 C.: Mitte me, qui fessus sum! Quid me turbas?  
 I.: Non te mitto, nisi nidum reliqueris calefactum; nam audita est hora septima.  
 C.: Septima? Surgam!  
 I.: Immo surge! Nam **aurora musis amica**, immo aurea est. [2]

### 1.3 Aliud eiusdem argumenti

I.: Surgamus, Christiane, surgamus!  
 C.: Bene mones, Ioachime; surgam.  
 I.: Vtinam ad votum apostoli Pauli!  
 C.: Quale illud est?  
 I.: Vt **evigilemus spiritu, et surgamus e lecto somnoque peccatorum.** [3]  
 C.: Memini adhuc, quod heri in schola hac de re audivi.  
 I.: **Meminisse laudabile est, sed praestare laudabilius.**  
 C.: Praestabimus ergo.  
 I.: Vtique, sed iuvante Deo, quippe qui dixit: **sine me nihil potestis, nihil valetis.** [4]

[1] Cfr SEN. ep. 28,9 (Epicur. frg. 522 Us.); WANDER, Dt. Sprichwörter-Lexikon, s.v. Erkenntnis 1.

[2] Cfr WANDER, Dt. Sprichwörter-Lexikon, s.v. Morgenstunde 4.

[3] Cfr VVLG. 1 Cor 15,34; Rom 13,11; Eph 5,14.

[4] Cfr VVLG. Io 15,5.



#### 1.4 De induendis vestibus

- I.: Quid stas, cessator? Indue te!  
 C.: Non habeo tunicam meam.  
 I.: Vbinam eam heri reposuisti?  
 C.: Nescio.  
 I.: Male quidem, id enim scire debebas; meam ubi colloco, ibi invenio.  
 C.: Nec meam arbitror furto esse ablatam; inveniam, quod amissum est.  
 I.: Sed ubi? Nonne sub scamno aut sub fornace?  
 C.: Quid tum? Sufficit invenire.  
 I.: Non sufficit; **certus ac conveniens locus debetur vestibus.**  
 C.: Ecce, hic est tunica mea, ibi sunt calcei, illic tibialia!  
 I.: Arripe, indue, propera, non habet mora locum! Statim accedet mater aut ancilla, quae pectat capillos, primum raro, deinde denso pectine.

#### 1.5 Aliud eiusdem argumenti

- I.: Tenesne dicta sacra, quae hodie recitanda sunt?  
 C.: Quaenam?  
 I.: O te obliviosum! Nonne recordaris monitum praeceptoris?  
 C.: Quale? Non recordor.  
 I.: Ergo recitabo tibi, et quidem prius: **Quotquot baptizati seu sacro baptismo Christo consecrati estis, Christum induistis.** [5] Posterius: **Induite novum hominem,** qui ...; [6] sed reliqua nondum teneo, discam autem statim.  
 C.: Discam et ego.  
 I.: Vtinam vero ad votum praeceptoris, immo Pauli ac ipsius Dei!  
 C.: Quorsum illud?  
 I.: Vt de induendo Christo serio cogitemus, quoties vestes induimus corpori.  
 C.: Cogitabimus sane.  
 I.: Sed serio et sincere. Certe stola iustitiae, quam Christus donat animae, nihil est decentius, nihil nobilius.

#### 1.6 Aliud eiusdem materiae

- I.: Quando vides aut induis vestes, quid meministi praeterea, Christiane?  
 C.: Nihil memini.  
 I.: Itane es immemor hesternae lectionis?  
 C.: Cuius?  
 I.: Sacrae, quam tractavimus in catechismo de **imagine Dei.**  
 C.: Memini, sed quid hoc ad vestes?  
 I.: Permultum, ut audivimus.  
 C.: Quomodo autem?  
 I.: Imago seu conformitas Dei data erat homini pro veste; unde corpore incedebat nudus, sine pudore et sine incommodo; nam ornatus animi etiam nudum corpus ornabat. [7]  
 C.: Sed anne vestes nostrae hodie sunt satis commodae?

[5] Cfr VVLG. Gal 3,37.

[6] Cfr VVLG. Eph 4,24.

[7] Cfr VVLG. Gen 1,26 sq.; 3,10 sq.; Rom 8,29; Col 3,10.12.



- I.: Commodae quidem sunt corpori, cuius nuditatem tegunt, animum vero non ornant.  
 C.: Nunc recordor monitum praeceptoris dicentis vestes esse signa amissae divinae imaginis.  
 I.: Ergo **induamus Christum et in Christo totum virtutum habitum!**  
 [8] Vestes autem corporis geramus non ad luxum, sed ad necessitatem!

### 1.7 De lotione

- I.: Indutus sum, Christiane. Ecce paratus sum!  
 C.: Vnum vero tibi adhuc deest.  
 I.: Nihil certe; dicas velim, quodnam?  
 C.: Lotio manuum ac faciei, numquam intermittenda.  
 I.: Fateor hanc mihi restare, sed ob defectum aquae.  
 C.: Puteus habet satis aquae.  
 I.: Ego vero nihil.  
 C.: Ecce Annam ancillam praesto! Roga, ut hauriat et nobis adferat, quantum satis est!  
 I.: Iam adfert. Hem quantum aquae! Nimium est.  
 C.: Sed cave, ne vestes conspergas!  
 I.: Tu vero, ne pelvim subvertas, ut heri; aut mantile superiori parte indecenter foedes, ut nudius tertius.  
 C.: Cavebo, et simul os meum aqua colluam.

### 1.8 Aliud eiusdem materiae

- I.: Cuiusnam rei signum est lotio?  
 C.: Sordium nostrarum.  
 I.: Sed hae variae sunt: aliae corporis, aliae animae.  
 C.: Animam non video, nec sordes eius cerno.  
 I.: Ergo caecus es.  
 C.: Non caecutio.  
 I.: Caecutis sane mente, et ipsa haec caecitas magna sordium tuarum pars est; habes ergo, quod eluas.  
 C.: Tunc autem iam satis mundus es?  
 I.: Sum utique **sanguine Christi lavatus**, [9] sed nihilominus **continuae lotionis indigus**.  
 C.: Quae subest causa?  
 I.: Quia tam **multae sordes supersunt**, et quotidie novae contrahuntur in mente, non secus ac in facie et manibus.  
 C.: Quid ergo prodest lavari, si rursus inquinaris?  
 I.: Permultum sane: aliud etiam est rursus inquinari delictis levioribus, ex infirmitate commissis; aliud per peccandi propositum et consuetudinem instar **suis lotae ad volutabrum caeni redire**. [10] Vtrumque tamen, praecipue posterius, ut fideliter constanterque caveamus, sacris litteris admonemur.  
 C.: Bene mones; rogabo Christum, qui discipulos suos lavit, ut me quoque lavet et mundet ab omni peccato.

[8] Cfr VVLG. Rom 13,14.

[9] Cfr VVLG. 1 Io 1,7; Apc 1,5.

[10] Cfr VVLG. 2 Pt 2,22.



## 1.9 De precibus

- I.: Adesdum, Christiane! Precabimur.  
 C.: Iam precatus sum heri et nudius tertius.  
 I.: Edisti etiam heri.  
 C.: Immo et hodie edam; iam esurio.  
 I.: Ergo precare etiam hodie!  
 C.: Precabor pro consuetudine nostra.  
 I.: Quid pro consuetudine? **Ex animo precandum est.**  
 C.: Quid vero est ex animo precari?  
 I.: Agnoscere mentis suae sordes, suam egestatem ac miseriam, et in hac agnitione demisse ac ardentem animum allevare ad Deum, omnium bonorum fontem et largitorem.  
 C.: Ego vero te videre soleo ore orantem.  
 I.: Ore quidem, sed non ore solo; at lingua, animi interprete.

## 1.10 De ientaculo

- I.: Prosit tibi ientaculum tuum, Christiane!  
 C.: Et tibi tuum, mi Ioachime!  
 I.: Miser ego nullum habeo, et stomachus tamen latrat poscitque, quo repleatur, si non ex toto, saltem ex parte.  
 C.: O me felicem, et te longe feliciorum!  
 I.: Sed esne bonus puer, Christiane?  
 C.: Vtique sum bonus.  
 I.: Ergo etiam esto beneficus! **Omnis enim bonus est beneficus.**  
 C.: Erga quem?  
 I.: Erga egentem, qualis ego nunc quoque sum.  
 C.: Commode argumentaris pro commodo tuo.  
 I.: Tu vero adde pondus argumento meo, et felicitatis tuae fac me participem!  
 C.: Ecce tibi partem dimidiam, praeter unum alterumque bolum.  
 I.: Gratias ago, Christiane, et quidem pro liberalitate tua liberales.

## 2. DECVRIA SECVNDA: DE RE SCHOLASTICA

POLYCARPVS et NATHANAEL

### 2.1 De adventu condiscipuli

- P.: Salve, Nathanael!  
 N.: Ago gratias, Polycarpe. Vnde venis?  
 P.: Ex aedibus patris mei.  
 N.: Quid adfers?  
 P.: Me ipsum; venio missus in scholam vestram.  
 N.: Hospes ac condiscipulus noster eris gratissimus.  
 P.: Agnosco tuum erga me amorem et laudo.  
 N.: Venisne instructus libris?  
 P.: Nullis, ut vides.  
 N.: Ergo es miles sine armis.  
 P.: Non pugnabo, sed discam.  
 N.: **Immo facilius est edere sine orbe ac cultro quam discere sine libro.**  
 P.: Quod nondum habeo, comparabo. Interea mihi edissere, quid tractetis in schola vestra!  
 N.: Edisseram, attende!



p.: Vt vis, attendo.

## 2.2 De lectionum initiis

p.: Ecquod est lectionum vestrarum initium?

N.: Sacrum; a Deo enim capessenda sunt rerum omnium primordia, praecipue in studiis.

p.: Bene facitis; sed narra, quomodo?

N.: Primum precamur; deinde canimus; post legimus scripturam sacram, interprete praeceptore.

p.: Precari possum, uti et legere; sed canere nondum didici.

N.: **Vsus est magister optimus**, [11] qui non solum verba, sed etiam numeros (Graeci melodiam vocant) sensim docet.

## 2.3 De libris

p.: Quid gestas sub pallio, Nathanael?

N.: Libros scholasticos.

p.: Ostende mihi eos!

N.: Ecce tibi omnes et singulos!

p.: Hem, quantum fasciculum video! Bibliothecam mihi videris portare.

N.: Noli mirari multitudinem! Sunt tantum septem.

p.: Dic, quaeso, singulorum nomina!

N.: Primus vocatur **Donatus**, secundus **vestibulum**, tertius **orbis pictus**, quartus **vocabularium**, quintus **grammatica**, sextus **tirocinium**, septimus **liber colloquiorum**.

p.: O librorum, immo et impensarum nimium, sed scientiae parum!

N.: Tu vero ubi tuos habes?

p.: Ecce hic sunt, et quidem in uno omnes. [12] Haec est in uno **grammatica** mea; huius parte prima, secunda et tertia continentur **Donatus**; quarta **syntaxis**, quinta **copia vocabulorum**, sexta **poesis**; appendix sistit **tirocinium** et **colloquia** in epitome.

N.: Non erras; quod enim fieri potest per pauca, non debet fieri per plura. Rogabo patrem meum, ut mihi eundem librum emat.

## 2.4 De praeparatione ad lectionem

p.: Quid agis, Nathanael?

N.: Praeparo me ad lectionem instantem.

p.: Ad quam?

N.: Ad pensum, datum in verbis discendis.

p.: Quomodo te praeparas?

N.: Discenda lego ac relego, et quidem mente attenda et voce clara.

p.: Siccine procedit istud negotium?

N.: Quidni? Non autem sufficit lectio aut relectio una, sed vel decies, immo vicies ac tricies repetita. Sic sine molestia sensim proficio et disco. Sequere me, experieris!

p.: Optime mones, sequar consilium tuum.

[11] Cfr CIC. Rab. Post. 9.

[12] in uno, hoc est: in libro ab ipso Joachimo Lange edito.



## 2.5 De lectionis recitatione

- P.: Recita mihi lectionem tuam, Nathanael!  
 N.: Tibine, Polycarpe? Quis te constituit praeceptorem meum?  
 P.: Si recusas in hoc negotio meus esse condiscipulus, ego tuus  
 ero, et tibi meam recitabo lectionem, ut recitatio coram  
 praeceptore deinde sit eo expeditior.  
 N.: Recita! Attendam.  
 P.: Ita attende, ut mihi haesitanti aut erranti subservias!  
 N.: Subserviam.

## 2.6 De attentione

- P.: Perge, Nathanael, in exponendo colloquio! Praeceptor iubet.  
 N.: Dic statim, ubi desieris! Nam nescio.  
 P.: Cur non attendis?  
 N.: Cogitabam de prandio.  
 P.: O te negligentem et edacem! Vix scholam es ingressus, et iam  
 animum habes in patinis, qui in libris esse debebat.  
 N.: Monstra, quaeso, monstra lectionis tuae terminum, ne vapulem!  
 P.: **Hac vice** monstrabo; sed, si ita perrexeris, te deseram, de-  
 sertus autem certo vapulabis.

## 2.7 De negligentia

- P.: Cur frater tuus fere numquam tenet lectionem suam?  
 N.: Quia est piger et negligens.  
 P.: Vnde ipsi existit ista negligentia?  
 N.: Inter alia e vitio edacitatis sive voracitatis.  
 P.: Rem acu tangis. **Nam plenus venter non studet libenter.** [13]  
 N.: Ita sane est; et frater meus pro aviditate sua semper maiorem  
 ientaculi partem captat.  
 P.: Sed anne captat?  
 N.: Plerumque, quod cupit, capit. Interdum vero ventrem citius  
 replet quam oculos.  
 P.: Rem narras bono puero indignam.

## 2.8 De diligentia

- P.: Cur me aspicias, Nathanael?  
 N.: Miror diligentiam.  
 P.: Non est, quod mireris; facio, quod debeo, neque id, quantum  
 satis et aequum est.  
 N.: Cur vero es tam diligens?  
 P.: Quia diligo.  
 N.: Quid autem diligis?  
 P.: Deum et studia: **Deum**, qui laborem nobis commendavit, immo  
 praecepit; **studia**, in quibus praestantissimum est laborandi  
 genus.  
 N.: Bene laboras, nec male philosopharis; laudo diligentiam tuam.  
 P.: Laudare non sufficit; sequi optimum est. Sin minus, diligen-  
 tia laudatur et alget. [14]

[13] Cfr WANDER, s.v. Bauch 79.

[14] Cfr IVV. 1,71 (probitas laudatur et alget).



## 2.9 De garrulitate et ineptiis

- P.: Quid garris, garrule? Quid ineptis, inepte?  
 N.: Quid ad te?  
 P.: Permulum; nam me impedis.  
 N.: Hui, diligentiam huius pueri!  
 P.: Hui, negligentiam huius garruli!  
 N.: Vtor lingua, quam mihi Deus dedit.  
 P.: Num ad garrulitatem? Minime. Vehementer erras; nec uteris lingua, sed abuteris. Interrogante praeceptore linguae usum exerce! Abusum inter lectiones sepone!  
 N.: Non male iudicas, fateor.  
 P.: Inice ergo frenum ori tuo, imprimis cum Deo sit reddenda ratio de unoquoque verbo, non solum turpi, sed etiam inepto et otioso seu inutili!

## 2.10 De missione scholae

- P.: Quota est hora, Nathanael?  
 N.: Cur de hora percontaris?  
 P.: Avide exspecto missionem e schola, quae datur hora undecima.  
 N.: Vix decima audita est.  
 P.: O me miserum!  
 N.: Certe miser es, qui litteras fastidis.  
 P.: Dicamus sonuisse undecimam!  
 N.: Nonne te pudet mentiri? Num putas falli posse Deum ac falli debere praeceptorem?  
 P.: Non mentiar, nec fallam.  
 N.: Nec suaserim tibi. Nosti enim mendacii crimen virga vindicari.

## 3. DECVRIA TERTIA: DE PRANDIO

IOANNES et THEOPHILVS

### 3.1 De revocatione a lusu ad prandium

- I.: Heus! heus! Theophile!  
 T.: Quid clamitas, mi Ioannes?  
 I.: Avoco a lusu ad prandium.  
 T.: O laetum nuntium! Me habes obsequentissimum.  
 I.: Non ignoro te libentius ire ad mensam quam in scholam.  
 T.: Nec detrectabo in scholam ire.  
 I.: Siccine scholam habes pro iugo? Iugum enim dicitur detrectari et non detrectari.

### 3.2 De praeparatione ad mensam

- I.: Audisne, Theophile, quid pater interroget?  
 T.: Quidnam?  
 I.: Vtrum simus parati ad preces et bene compositi ad mensam.  
 T.: Hem! Nec pexus sum nec lotus.  
 I.: Ergo propera! Est enim inediae periculum in mora.  
 T.: Malo pecti et lavari quam esurire.  
 I.: Ecce, hic habeo aquam et mantile!  
 T.: Vbi vero est pecten?  
 I.: Illic in fenestra.



T.: Statim me videbis paratum.  
 I.: Sed cave, ne obliviscaris nasum emungere!  
 T.: Emungam.

### 3.3 De consecratione mensae

I.: Oremus, Theophile!  
 T.: En adsum!  
 I.: Vtrum corpore an animo?  
 T.: Vtroque.  
 I.: Id audio; sic enim decet hominem, qui constat animo et corpore simul.  
 T.: Egone, quem puerum aut Theophilum alias vocant, sum homo?  
 I.: Vtique es; da vero operam, ut sis **homo Theophilus!**  
 T.: Quid sibi vult hoc nomen?  
 I.: Significat Dei amantem; talem te nunc praesta in precibus!  
 T.: Cur vero precamur?  
 I.: Nescis? Vt Deum habeamus in mensa propitium et verbo eius appositos cibos consecremus.

### 3.4 De iusculo

I.: En! Quid video?  
 T.: Quid est, quod vides?  
 I.: Te ipsum: primum in patina, sed ultimum seu postremum in schola.  
 T.: Mitte me, ut edam!  
 I.: Hem! Cur os tantopere torques ac retorques?  
 T.: Ius, quod tantum calere videbatur, fervet.  
 I.: Sic dignam luis poenam nimiae aviditatis tuae.  
 T.: Disce meo exemplo sapere!  
 I.: Immo gustabo et sapiam, sed sine laesione oris ac palati.  
 T.: Ipse ego posthac non edam iusculum, nisi orbe exceptum aut sorbillando exploratum. Sic, quae nocent, docent. [15]

### 3.5 De carne elixa

I.: Quaenam caro haec est, quam vides in patina?  
 T.: Elixā.  
 I.: De hoc non est dubium nec quaestio. Quis enim crudam carnem apponeret? Dic, cuius sit generis!  
 T.: Est bubula.  
 I.: Falleris.  
 T.: Habet tamen speciem bubulae.  
 I.: Non habet, nisi in errore oculorum tuorum.  
 T.: Estne vervecina aut agnina?  
 I.: Neutra.  
 T.: Estne suilla aut vitulina?  
 I.: Alterutra.  
 T.: Sed utra? Fortasse suilla?  
 I.: Erras; est vitulina.  
 T.: Est grati saporis.  
 I.: Vtique, inprimis fame condita.

[15] Cfr WANDER, s.v. Schade 45.



### 3.6 De carne assa

- I.: Gaudeamus, Theophile!  
 T.: Quae subest causa?  
 I.: Nonne vides in culina assam, veru adfixam et ad ignem circumactam?  
 T.: Video et gaudeo tecum.  
 I.: En! Iam adfertur et imponitur mensae.  
 T.: Sed num mihi ac tibi?  
 I.: Spero quidem, sed non sine metu aliquo.  
 T.: Vnde eum concipis?  
 I.: Nescis? E molestia, quam matri facessivimus in culina. Vnde vereor, ne irascatur nobis, assam negatura.  
 T.: Mitte illum metum! Iam dudum oblita est.  
 I.: Brevi experiemur.

### 3.7 De piscibus

- I.: Ecce pisces, Theophile, et quidem frixos!  
 T.: Cuius generis? Suntne carpiones an percae an lucii? [16]  
 I.: Lucii.  
 T.: Nunc novi eos.  
 I.: Sed quale proverbium heri audivimus de piscibus?  
 T.: Mihi non venit in mentem.  
 I.: Ergo nec piscis veniet in stomachum tuum.  
 T.: Eia, dic mihi!  
 I.: **Magis mutus es quam piscis.** [17]  
 T.: Nunc memini; immo succurrit aliud.  
 I.: Quale istud est?  
 T.: **Tu pisces natare doces.** [18]

### 3.8 De caseo et butyro

- I.: Quomodo sapit ille caseus?  
 T.: Bene; sed saperet melius, si adderetur butyrum.  
 I.: Caseum edere una cum butyro divitum est.  
 T.: Nos sumus divites.  
 I.: Ostende divitias!  
 T.: **Mea mater ipsa format caseos et conficit butyrum, quantum vult.**  
 I.: Erras; dicere debebas: quantum potest pro copia lactis.  
 T.: Ergo posthac contentus ero alterutro, butyro aut caseo solo.  
 I.: Bene facies; nam vix sicco pane digni sumus.  
 T.: Indigni sumus, sed Deus tamen nec indignis negare solet obsonium.

[16] carpio (cyprinus), Theodisce: Karpfen; perca: Barsch; lucius: Hecht.

[17] Cfr ERASM. Adag. I 5,29; WANDER, s.v. Stumm 6.

[18] Cfr ERASM. Op. om. II 6 (Amstelodami 1981), n. 2519; WANDER, s.v. Fisch 248.



### 3.9 De potu

- I.: Quoties bibere soles in prandio?  
 T.: Quoties sitio, seu ad modum sitis.  
 I.: Quo potus genere uteris?  
 T.: Optimo et maxime parabili.  
 I.: Ecquid illud est?  
 T.: Aqua.  
 I.: Hanc tibi soli serva! Non invideo. Mihi placet cerevisia.  
 T.: Sed quaenam?  
 I.: Secundaria; primaria enim tentat caput et nocet studiis; praeterea sitim magis irritat quam restinguit.  
 T.: Ego aquam bibere pergo, quippe quae nec mucet nec acescit.  
 I.: Sed aqua debilitat stomachum.  
 T.: Falleris; consuetudo fit altera natura.  
 I.: Vinum tamen aqua est melius.  
 T.: Adde: et pretiosius, immo non raro multo nocentius!  
 I.: Vix crediderim.  
 T.: Crede mihi! Plures enim pereunt vino quam aqua.  
 I.: In vino tamen, secundum proverbium, est veritas. [19]  
 T.: Sed prodita aut violata.

### 3.10 De prandii fine

- I.: Esne satur, Theophile?  
 T.: Nondum; sed statim ero, quando consumpsero meum panem butyro illitum.  
 I.: Ergo insta dentibus eosque exerce impigre!  
 T.: Quis urget?  
 I.: Morum qualitas ac modestia decens.  
 T.: Quid illa iubet?  
 I.: Vt pueri surgant de mensa primi.  
 T.: Praestat sedere quam ante preces discurrere.  
 I.: Datur tertium seu res in medio posita.  
 T.: Quaenam illa est?  
 I.: Ministrare mensae aut parentibus aliisque honestioribus convivis adhuc prudentibus.  
 T.: Bene mones; surgam, ministrabo.  
 I.: Sed moribus ad honestatem compositis et animo, qui se digne parat ad preces!

## 4. DECVRIA QVARTA: DE RE SCHOLASTICA POMERIDIANA (= POSTMERIDIANA)

ANDREAS et CHRISTOPHORVS

### 4.1 De descriptione

- A.: Eamus in scholam, Christophore!  
 C.: Nondum est tempus discendi.  
 A.: Ergo nec ludendi. Veni! Paedagogus vocat.  
 C.: En adsum iturus tecum et scripturus, sed tuo calamo!  
 A.: Habeo tantum unicum.  
 C.: O me obliviosum, qui non solum pennam, sed etiam chartam oblitus sum!

[19] Cfr OTTO, Sprichwörter der Römer, s.v. vinum, n. 1900.



- A.: Bono animo esto! Chartam tibi commodabo; nec deerit, qui com-  
modet calamum.  
C.: Agnosco amorem tuum, Andrea, grato animo.  
A.: Sed cave, ne posthac quidquam rerum tuarum obliviscaris!  
C.: Cavebo.

#### 4.2 Aliud eiusdem argumenti

- C.: Ioannes dedit mihi pennam mutuam, sed quae respergit chartam  
atramento.  
A.: Porrige mihi illam! Mutabo eius cuspidem aut crenam [20]  
scalpello, nisi huius acies fuerit obtusa.  
C.: Apta nunc esset scribendo, nisi cuspidem haberet nimis tenu-  
em.  
A.: Porrige eam iterum! Mox fiet crassior.  
C.: Hem! hem! Facta est duriuscula et nimis crassa.  
A.: Augebo crenam, et cuspidem acuam ad minutas litteras.

#### 4.3 Aliud eiusdem argumenti

- A.: Vbi emisti chartam tuam, Christophore, chartam nullius pre-  
tium?  
C.: Tua non est melior.  
A.: Est sane; non enim perfluit, sicut tua; quae fere omnes lit-  
teras transmittit, instar emporeticae seu bibulae.  
C.: Sic imposuit mihi Sempronius mercator.  
A.: Aut potius chartarius seu chartarum confector mercatori.  
C.: Certe paenitet me emptionis meae, qui non unam atque alteram  
plagulam, sed integrum emi scapum seu codicem viginti quat-  
tuor plagulas continentem.

#### 4.4 Aliud eiusdem materiae

- A.: Vbi est regula tua, Christophore?  
C.: Non amplius scribo ad regulam.  
A.: Ergo eam mihi da mutuam!  
C.: Dabo, si mihi dederis parum atramenti.  
A.: Ipse habes atramentum.  
C.: Habeo quidem; sed est decolor, immo nimis spissum.  
A.: Si spissum est, illud aqua dilue, dilutum penna misce!  
C.: Factum est.  
A.: Nunc litteras pingit munde ac eleganter.  
C.: Malo uti atramento scriptorio seu litterario quam sutorio.  
A.: Cave, ne subvertas thecam arenariam aut atramentarium nec  
amittas thecam calamarium!

#### 4.5 De recitatione lectionis

- C.: Recita lectionem tuam, Andrea!  
A.: Nondum eam teneo.  
C.: Ergo eam disce! Quid cessas? Mox enim recitanda erit, et qui-  
dem memoriter.  
A.: Memoria mea admodum debilis est et recusat lecta retinere.  
C.: Erras; nam culpa non est in memoria, sed in animo tuo, qui

[20] crena, Theodisce: Einschnitt, Kerbe; cfr WALDE-HOFMANN, Lat.  
etymolog. Wörterbuch, s.v. crena.



- piger est.  
 A.: Tu vero, Christophore, quomodo comprehendis ea memoriter, quae legis?  
 C.: Subinde me excito ad discendi ardorem, et sine ulla defatigatione aut taedio lego, quae mihi demandata sunt, totiesque attente relego, donec pensum meum sine haesitatione recitare possim.

#### 4.6 De repetitione

- A.: **Repetitio est mater studiorum.**  
 C.: Quis ita dixit?  
 A.: Pater meus.  
 C.: Num etiam pater te docet domi?  
 A.: Vtique; praecipue me excitat ad repetitionem eorum, quae in schola audivi, legi et didici.  
 C.: Siccine tibi commendat repetitionem ista sententia, quam proferebas?  
 A.: Omnino ita est.  
 C.: Iam intellego mentem tuam.  
 A.: Nisi ego domi repetivissem ea, quae heri didici, iam me praeceptor deprehenderet imparatum, sicut te.  
 C.: Metuo sane, ne vapulem.

#### 4.7 De disciplina

- C.: Vapulavi, Andrea. Vtinam nulla esset disciplina!  
 A.: Iure castigatus es; nam qui non curat **verba, verbera** accipit non immerito. Certe sine **disciplina** nemo recte discit, unde nomen forsitan habet a **discendo**. [21]  
 C.: Bene mones; discam et bene me geram, ne cogar manum aut nates (sit venia verbo) ferulae subicere, aut asini (qui pigrorum socius est) simulacrum sustinere seu portare.  
 A.: Prudenter ages.

#### 4.8 De silentio

- A.: Heus, Christophore! Rem tibi narrabo lepidam.  
 C.: Mitte me, garrule! Praeceptor nobis imposuit silentium.  
 A.: Non ignoro; nec clamabimus neque clara voce loquemur, sed admodum submissee.  
 C.: Nec submissee garriendum est.  
 A.: Quis audiet? Nemo.  
 C.: Erras; Deus audiet, qui ubique praesens est.  
 A.: Silebimus.

#### 4.9 De praeceptoris absentia

- A.: Praeceptor evocatus est! Ludamus, condiscipuli!  
 C.: Tace, ludio! Sin minus, ludetur in tergo tuo.  
 A.: Ecce delatorem! Siccine omnia deferenda sunt ad praeceptorem?  
 C.: Omnino; is enim vestri observationem mihi iniunxit.  
 A.: Tibi? Quid te curamus?

[21] Rectius: a **dis-cipiendo**; cfr Langenscheidts Handwörterbuch Lateinisch-Deutsch, ed. ab E. Pertsch (Berolini 1971), s.v. discipulus.



C.: Ergo vos virga curabit mentemque vestram male sanam sanabit.  
Quid, quod statim aderit praeceptor? Interea vero Deum habes  
praesentissimum.

#### 4.10 De testimonio diligentiae

A.: Heri non accepi merendam.

C.: Quae erat causa?

A.: Negatum diligentiae testimonium.

C.: Cur illud tibi negaverat praeceptor?

A.: Quia in studiis haud fueram diligens.

C.: Defectus diligentiae iusta est causa merendae negandae.

A.: Id expertus sum damno meo.

C.: Sic, quae nocent, docent; [22] et qui nihil meretur, nullam  
accipit merendam.

### 5. DECVRIA QVINTA: DE REBVS SACRIS

IACOBVS et MARTINVS

#### 5.1 De scriptura sacra

I.: Quis est novus iste liber, in quo tam attente legis, Martine?

M.: Est scriptura sacra sive sacer codex.

I.: Hunc librum nec novi nec habeo.

M.: Cares sane egregio thesauro.

I.: Itane hic liber thesaurus est?

M.: Est certe, et quidem thesaurus quovis auro praestantior.

I.: Cur eum habes loco thesauri?

M.: Quia continet verbum ac voluntatem Dei de nostra salute, in-  
primis aeterna; unde eam vocare soleo epistulam.

I.: Qualem?

M.: Missam ad humanum genus.

I.: Si tantum est huius pretium, rogabo patrem meum, ut mihi eun-  
dem donet.

#### 5.2 De creatione

I.: Quid legis, Martine?

M.: Historiam creationis.

I.: Quis est creator?

M.: Deus omnipotens.

I.: Quid creavit?

M.: Mundum universum.

I.: Quomodo?

M.: Ex nihilo, per infinitam suam potentiam.

I.: Quando?

M.: In principio omnis temporis creavit omnia, eaque sex dierum  
spatio digessit atque exornavit quam sapientissime.

I.: Quem in finem?

M.: Vt manifestaret suam potentiam, bonitatem ac sapientiam.

---

[22] Cfr annot. 15.



### 5.3 Aliud eiusdem materiae

- I.: Quaenam est nobilissima rerum creatarum?  
 M.: Angelus ac homo.  
 I.: Quid est angelus?  
 M.: Spiritus.  
 I.: Quid est spiritus?  
 M.: Qui non habet corpus; ipsam vero angelorum naturam non intellego.  
 I.: Quid ad nos angeli?  
 M.: Permultum sane.  
 I.: Quamobrem?  
 M.: Dati enim sunt nobis ut praesides, custodes ac comites.  
 I.: Vbi haec audivisti?  
 M.: Audivi saepe in templo, et legi in sacris litteris. Lege easdem, sic plura cognosces de angelis!  
 I.: Sequar consilium tuum.

### 5.4 Aliud eiusdem argumenti

- I.: De homine autem quid mihi narras, Martine?  
 M.: Narra tibi ipse, quia ipse homo es!  
 I.: Cur me vocas hominem? Ego sum Iacobus aut, si mavis, puer.  
 M.: Etiam pueri sunt homines.  
 I.: Cur?  
 M.: Quia constant e corpore et anima immortalis, uti vides.  
 I.: Corpus video, animam non video.

### 5.5 Aliud eiusdem materiae

- I.: Monstra mihi animam tuam, Martine!  
 M.: Monstro te tibi ipsi.  
 I.: Me equidem video, immo tango; sed animam meam tangere non possum.  
 M.: Anima nostra est spiritus; ideoque nec videri nec tangi potest.  
 I.: Fortasse eam plane non habemus.  
 M.: Habemus utique eamque intra nos deprehendimus.  
 I.: Quomodo?  
 M.: Nonne nos movet atque animat? Nonne sola anima est, quae in te cogitat, intellegit, iudicat, desiderat atque amat?  
 I.: Iam percipio in me vim animae.  
 M.: Immo ne loqui quidem posses sine anima.

### 5.6 De morte

- M.: Cur fles, Iacobe?  
 I.: Quia soror mea mortua est.  
 M.: Doleo et tecum lugeo. Sed ubi nunc est?  
 I.: Mortua est, ut audivisti.  
 M.: Itane plane periit?  
 I.: Corpus quidem video, sed exsanguis et vitae expertus.  
 M.: Nunc vides, quid corpus sit sine anima.  
 I.: Video; sed ubi anima sororis meae sit, nescio.  
 M.: Fuitne soror pia?  
 I.: Fuit sane.  
 M.: Ergo eius anima est in caelo, in sede beatorum.



### 5.7 De reditu in vitam

- I.: Cras non potero venire in scholam.  
 M.: Quamobrem?  
 I.: Sepelietur soror mea.  
 M.: Video te nunc hilarem. Cur non amplius luges?  
 I.: Quia audivi eam aliquando excitatum iri et redituram esse in vitam.  
 M.: Quando?  
 I.: Die huius mundi extremo.  
 M.: Interea tamen mortem meditabimur.  
 I.: Bene mones; nam etiam nos mortales sumus.

### 5.8 De extremo iudicio

- I.: Cur ita contremiscis, Martine?  
 M.: Fulgurat, et mox tonabit.  
 I.: Meminerimus iudicii extremi, ubi Deus inter fulgura et horrenda tonitrua nos citabit ad tribunal suum!  
 M.: Quem in finem?  
 I.: Vt ipsi, tamquam supremo iudici, rationem reddamus vitae nostrae.  
 M.: Simulabo me fuisse pium.  
 I.: Pudeat te simulationis tuae, impudens simulator! Num putas fieri posse, ut Deum fallas?  
 M.: Agnosco errorem meum, et me errasse fateor.  
 I.: Non solum errorem, sed etiam malitiam tuam agnosce et exue!

### 5.9 De vita ac morte aeterna

- I.: Eheu! Migravit hinc Christophorus, amicus noster.  
 M.: Quorsum?  
 I.: Ad vitam aeternam, depositis corporis exuviis.  
 M.: Quando?  
 I.: Hodie circa horam septimam matutinam.  
 M.: Heu optimum Christophorum!  
 I.: Recte eum vocas optimum; nam Christum ferebat in animo, ut nomen eius indicabat.  
 M.: Ergo nec dubito eum frui vita aeterna.  
 I.: Nec est, quod dubites; pii enim moriuntur beate; sed impii post hanc vitam subeunt mortem aeternam.

### 5.10 De desiderio rerum caelestium

- I.: Sequamur Christophorum, Martine!  
 M.: Non possum.  
 I.: Quidni?  
 M.: Dic, quomodo et quorsum?  
 I.: In caelum per sancta vitae caelestis desideria.  
 M.: Eum tamen non adsequemur nec reducemus in hanc vitam aut has terras.  
 I.: Neque id tentabimus; sed per sancta suspiria abducemus animum ab huius mundi vanitatibus, ut paratus sit ad beatam mortem.  
 M.: Nescio, quando moriturus sim.  
 I.: Ideo observare debemus dies singulos, quia nos latet unus.  
 M.: Videris mihi esse sapiens.  
 I.: Da operam, ut etiam ipse sapias! Nam **mortem salutariter meditari est sapere.** [23]

ANDREAS FRITSCH  
 professor academicus Berolien-  
 nensis

[23] Cfr SEN. ep 26,8-10.







6. DECVRIA SEXTA: DE VIRTVTIBVS

PAVLVS et ARETOPHILVS

6.1 De nomine Aretophili

- P.: Salve, mi Aretophile!  
A.: Ago gratias. Tu quoque salvus sis, Paule!  
P.: O quam praeclarum habes nomen, Aretophile!  
A.: Quaenam est nominis mei praestantia? Vel quid significat?  
P.: Virtutis studiosum seu amatorem.  
A.: Quid est virtus?  
P.: Audio, nomen virtutis tantum geris, ipsa quid valeat, nescis; quemadmodum de te et tui similibus loquitur Cicero [24], qui tamen nec ipse eius vim intellexit.  
A.: Ergo me doce eam!  
P.: Age docebo te pluribus.

6.2 De auctore seu fonte virtutum

- A.: Vnde est aut oritur virtus, carissime Paule?  
P.: A Deo, summo ac perfectissimo bono, ut omnium bonorum auctore, ita etiam virtutum fonte inexhausto.  
A.: Quomodo haurimus ex hoc fonte?  
P.: Per preces, animo Dei dona in se derivante ac sincero, qui etiam ipse Dei donum est.  
A.: Ergo, ut intellego, extra communionem cum Deo nulla est virtus, nullum virtutis exercitium?  
P.: Recte intellegis; incipis iam sapere per Dei gratiam.

6.3 De sapientia

- A.: Quid vero est sapere?  
P.: Spiritu Dei ita illuminari, ut gustum percipiamus in virtutibus ac in communiione cum agnito Deo.  
A.: Quid praeterea?  
P.: Nihil. Num quid praeter Deum et illuminatae mentis virtutes requiris?  
A.: Non requiro quidem, sed tamen scire aveo, ane omnes homines sapiant?  
P.: Paucissimi homines possident sapientiam.  
A.: Quae subest ratio?  
P.: Quia Deum non timent; nam timor Dei est sapientiae initium. [25]

6.4 De timore Dei

- A.: Quidnam est timor Dei?  
P.: Iam audivisti; sapientiae initium, immo virtutum omnium complexus. [26]  
A.: Haec nondum satis intellego.

[24] Cfr CIC. inv. 2, 159.

[25] Cfr VVLG. Iob 28, 28; Ps 110(111), 10; Prov 1, 7; 9, 10; Sir 1, 16.

[26] Cfr CIC. inv. 2, 159.



- P.: Ergo tibi declarabo.  
 A.: Exspecto declarationem tuam avide.  
 P.: Qui Deum recte timet, is eum vere agnoscit, reverenter amat et eius iussa exsequitur; atque is voluntati eius fit conformis.  
 A.: Vt audio, ardua res est timor Dei.

### 6.5 De amore Dei

- A.: Quid est amor Dei?  
 P.: Est fructus spiritus ac fidei.  
 A.: Quid continet?  
 P.: Adfectum animi sincerum, qui semper versatur in actione virtutis, hoc est: homo Deum amans lubenti animo omnia Christianismi officia peragit.  
 A.: Talem adfectum seu animi habitum mihi opto.  
 P.: Deus det eum utrique nostrum!

### 6.6 De tribus virtutibus primariis iuventutis

- A.: Tres sunt virtutes, quae prae reliquis, ut audivi, ornant iuvenem. Nostine eas, Paule?  
 P.: Non novi eas, scire tamen velim.  
 A.: Prima est **oboedientia**.  
 P.: Hanc bene novi.  
 A.: Fortasse de nomine tantum.  
 P.: Quidnam praestat oboedientia?  
 A.: Frangit animi pertinaciam et pueros reddit in omnibus morigeros.  
 P.: O praeclaram virtutem meoque fratri, inobsequenti illi, admodum necessariam!  
 A.: Adde: et mihi ipsi!  
 P.: Cur non potius utrique nostrum?  
 A.: Invocabimus Deum, ut nobis largiatur animum obsequentem.  
 P.: Bene mones. Sed ita a nobis invocandus est Deus, ut largienti aut largituro animum patientem permittamus seu offeramus.

### 6.7 De amore veri

- A.: Quaenam est secunda virtus pueros prae reliquis ornans?  
 P.: **Amor veri**.  
 A.: Quid efficit?  
 P.: Arcet mentiendi libidinem mentemque reddit serenam ac sinceram.  
 A.: Studebimus huic virtuti; audivi enim mendacium esse ex diabolo.  
 P.: Recte audivisti. Nam diabolus est spiritus mendacissimus et pater mendaciorum.  
 A.: O quam multos filios habet hic pater!  
 P.: Non nego; nec possum negare, quia reclamatione experientia, testis huius rei locuples.  
 A.: Vitabimus hoc vitium, ut etiam eius auctorem, satanam, vitemus.  
 P.: Sed cave, mi Aretophile, ne mentiaris hac tua promissione!  
 A.: Non mentiar, quae Dei erit gratia, memor dicti Paulini: **deposito mendacio loquimini verum!** [27]

[27] Cfr VVLG. Eph 4,25.



## 6.8 De diligentia

- A.: Restat tertia virtus ex iis, quarum studium pueris commendatissimum esse debet,  
 P.: Hanc facile coniectura adsequar.  
 A.: Ergo coniecta!  
 P.: Nonne est diligentia?  
 A.: Est. Rem acu tetigisti.  
 P.: Nec mirum est, quia ego sum diligens.  
 A.: Sed propria laus sordet. [28]  
 P.: Ergone mentiar et discedam a commendato amore veri?  
 A.: Nequaquam.  
 P.: Mendax tamen essem, si dicerem me ignavum esse.  
 A.: Aliud est ignaviam suam adlegare, aliud diligentiam iactare.  
 P.: Non sum iactator, sed tantum testis diligentiae meae.  
 A.: At nescis testem non valere in causa propria?

## 6.9 De virtutum exemplari perfectissimo

- P.: Ecquis est optimus virtutum omnium magister?  
 A.: Christus Iesus, servator noster.  
 P.: Quam ob causam?  
 A.: Quia perfectissime ipse praestitit, quod perfecte docuit.  
 P.: Ergone solus Christus erit imitandus?  
 A.: Omnino; ita tamen, ut eos quoque aemulemur, qui etiam ipsi Christum vere imitantur.  
 P.: Vtinam omnis vitae nostrae actio sit Christi imitatio!

## 6.10 De oppositis vitiis

- P.: Quid est vitium, Aretophile?  
 A.: Est morbus, immo pestis animi.  
 P.: Quomodo pellitur hic morbus?  
 A.: Per studium virtutum; nam qui virtutem induit, vitia exuit; qui virtutes amat, vitia odit.  
 P.: Quodnam vero vitium et iuventuti nocentissimum?  
 A.: Philautia.  
 A.: Ergo huic morbo per Dei gratiam medebimur.

## 7. DECVRIA SEPTIMA: DE REBVS VARIIS

VALENTINVS et HERMANNVS

### 7.1 De horto

- V.: Vnde venis, Hermanne?  
 H.: Ex horto.  
 V.: Quid inde adfers?  
 H.: Flores varios.  
 V.: Immo fasciculum florum odoratum, ut video. Quis eo te donavit?  
 H.: Hortulanus, vir probus et mei amantissimus.  
 V.: Sed cur non adfers pruna, immo mala et pira?

[28] Cfr WANDER, s.v. Eigenlob 1.

H.: Pruna iam comedi; sed reliqua poma nondum maturuerunt.  
 V.: De floribus vero numquid cogitas?  
 H.: Quidnam?  
 V.: Nos sumus instar florum; adeo, ut aliquando de nobis ipsis  
 cum poeta dicere possimus:  
**Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus. [29]**

## 7.2 De agro et messe

V.: Quo tendis, Hermanne?  
 H.: Eo rus in agrum nostrum, ubi sunt messorum nostri nostraeque  
 ancillae.  
 V.: Quid ibi peragunt?  
 H.: Messorum metunt fruges, quas deinde ancillae colligant tomi-  
 cibus. Colligatas vocamus mergites seu manipulos.  
 V.: Iam memini egregiam sententiam.  
 H.: Profer eam!  
 V.: **Vt sementem feceris, ita et metes. [30]**  
 H.: Sed saepe pro bene factis malam messem metimus, ut itidem in  
 proverbio est.

## 7.3 De frigore et igne

V.: Cur non scribis, Hermanne?  
 H.: Digiti mei rigent frigore; nec est ignis in fornace, unde mu-  
 seum calefiat.  
 V.: Age, excitabimus ignem folle.  
 H.: Follis adest, sed lignum deest.  
 V.: Ecce, lignum hic est!  
 H.: Novi, sed est humidum; arido opus est.  
 V.: Cur non sufficit humidum?  
 H.: Quia igni admotum nil nisi fumum producit; fumus vero infe-  
 stat oculos.

## 7.4 De pluvia.

V.: Cur venis tam sero in scholam?  
 H.: Tempestas, cuius transitum exspectabam, me retardavit, sicuti  
 heri te remorabatur pluvia.  
 V.: Iamne desaevit?  
 H.: Desaevit quidem; sed ab oriente rursus surgunt nubes atrae,  
 pluviam minantes.  
 V.: Immo fortasse imbrem aut nimbium.  
 H.: Exspectemus, quid serus vesper sit advecturus! [31]  
 V.: In primis, si suborta fuerit procella.

## 7.5 De merenda

V.: Hodie non accipies merendam, Hermanne.  
 H.: Quid commisi aut intermisi, cur habear indignus merenda?  
 V.: Intermisisti diligentiam in schola.  
 H.: Quid hoc ad merendam?  
 V.: Permulum; nam merenda nomen habet a merendo nec datur nisi

[29] OV. trist. 5,8,19 (flos erat ille caducus).

[30] Cfr CIC. de or. 2,261; VVLG. Gal 6,7.

[31] Cfr LIV. 45,8,6; GELL. 1,22,4; 13,11,1.



bene merentibus aut bene meritis.

H.: Argute philosopharis, sed in damnum meum.

V.: Quilibet fortunae suae faber. [32]

### 7.6 De equis

H.: Conscendamus hunc equum, Valentine!

V.: Difficilis est ascensu, immo ferit calcitrando.

H.: Nos non feriet.

V.: Comperies. Certe enim hic rufus est audax, sternax et admodum effrenis, qui sessorem suum facile excutit.

H.: Adducam habenas, sed eas detrectat.

H.: Mittamus ergo equos!

V.: Bene mones. Quid enim nobis est rei aut commercii cum equis, qui sumus studiosi litterarum?

### 7.7 De canibus

V.: Cave, cave, Hermanne!

H.: Quidnam?

V.: Canem, et quidem catenarium ad fores.

H.: Quis eum in me immittet?

V.: Ille se ipsum.

H.: Non credo eum esse rabiosum; non enim latrat.

V.: Est tamen mordax.

H.: Proiciam illi lapidem, in eum saeviat.

V.: Noli eum irritare!

H.: Abeamus hinc!

V.: Quorsum?

H.: Vnde venimus.

V.: Exspecta parumper!

H.: Non est tempus exspectandi, sed properandi, quia vespera ingruit.

### 7.8 De morbo

V.: Cur frater tuus hodie non erat in schola?

H.: Laborat morbo.

V.: Quonam? Fortasse pigritiae?

H.: Minime, sed feбри.

V.: Ego heri etiam aeger eram capite, quod mihi dolebat; et tamen scholam frequentabam.

H.: Ego vero saepe laboro pedibus, qui recusant ire in scholam.

V.: Sed eunt tamen?

H.: Omnino eunt; nam timor virgae etiam invitos pedes currere cogit.

V.: Faxit Deus, ut nobis sit mens sana in corpore sano! [33]

[32] Cfr SALL. ep. 1,1,2.

[33] Cfr IVV. 10,356 (orandum est, ut sit mens sana in corpore sano).

### 7.9 De voce et risu

- V.: Quid clamas, Hermanne?  
 H.: Non clamo, sed tantum clara voce loquor.  
 V.: Vox tua non solum clara, sed etiam clamosa est. Quae hic tantum submissa esse debebat, ne e somno excitetur Fridericus, qui aegrotat.  
 H.: Vbi decumbit?  
 V.: In proximo cubiculo.  
 H.: Remittam vocem, non intendam amplius.  
 V.: Abstineamus etiam a risu!  
 H.: Omnino, ita decet puerum.  
 V.: Subridere, et quidem tempestive, humanum est; sed cachinnum tollere et risu concuti seu effuse ridere decet neminem, nedum ingenuos pueros.  
 H.: Cavebimus igitur, ne quid temere vertamus in risum aut alios irrideamus, probe memores versus illius notissimi:  
**Per risum multum debes cognoscere stultum.** [33a]

### 7.10 De quattuor coniugationibus

- H.: Recitasti hodie coniugationes in schola?  
 V.: Recitavi, sed tantum primam **amo** et ultimam **audio**.  
 H.: Ordo coniugationum non est conveniens scholae seu disciplinae; saltem disciplina coniugationes rectius quam grammatica ordinat.  
 V.: Quomodo ergo?  
 H.: Initium facit ab **audio**, certe tamen post **amo** statim collocat **audio**.  
 V.: Quamobrem, seu quo sensu?  
 H.: Ante omnia oportet **audire** puerum, quid praeceptor doceat et moneat; deinde **amare** ea, quae audivit, et velle morem gerere ac proficere; aut, si mavis, primum amet sapientiam et studia; amor vero exacuat sensum attente audiendi.  
 V.: Quid postea?  
 H.: Statim legendum frequenter et dicendum libenter.  
 V.: Sic **lego** retinet locum tertium.  
 H.: Retinet omnino; sed **doceo** suo loco movetur et quartum accipit seu ultimum.  
 V.: Quae subest ratio?  
 H.: Id postulat natura disciplinae; nemo enim recte **docere** potest alios, nisi antea diu multumque **audiverit** attente, **amaverit** impense et **legerit** seu didicerit quam diligentissime litterarum studia.  
 V.: Bene philosopharis in ipsa grammatica.  
 H.: Cur vero quattuor coniugationibus praemittitur **sum**?  
 V.: Quia **esse** seu exsistere debet in rerum natura, qui vult **audire, amare, legere, docere**.

[33a] Cfr WANDER, s.v. Lachen 4.



## 8. DECVRIA OCTAVA: DE REBVS VARIIS

ARNOLDVS et NICOLAVS

## 8.1 De via

A.: Quo tendis, Nicolae?

N.: Recta in hortum Friderici.

A.: Haec via eo non fert, sed ista satis trita, etsi plaustris in via.

N.: Lutosa illa et acclivis nec lapidibus strata?

A.: Progredere modo alacriter! Mox erit declivis, arida et satis iucunda.

N.: Non videtur vero esse compendiaria.

A.: Est sane, nisi quaesiveris deverticula, hoc est, nisi ab eadem ad dextram vel ad sinistram deflexeris.

N.: Persequar hunc callem sine errore gradumque accelerabo.

## 8.2 De alauda et luscinia

A.: Audivi heri alaudam, veris nuntiam.

N.: Nonne etiam lusciniam?

A.: Nondum; haec enim non veris, sed aestatis est praenuntia.

N.: Vtra vero canit suavius?

A.: Luscinia; insignis tamen est etiam vocis seu cantus praestantia in alauda.

N.: Omnino; ideoque nomen habet a laude; laudat enim Dominum, creatorem suum. [34]

A.: Scita est haec nominis ratio.

N.: Nos vero inde discamus multo magis Deum laudare!

A.: Id omnino aequum est; dedit enim nobis vocem humanam et articulatam.

N.: Interea vero gaudeo appropinquare tempus, quo possimus avium nidos investigare.

## 8.3 De apibus

A.: Quid edis, Nicolae?

N.: Panem melle illitum pro butyro.

A.: Quomodo sapit?

N.: Dulcissime.

A.: Quisnam conficit mel?

N.: Apis; non autem una, sed plures.

A.: Vnde illud conficiunt?

N.: E florum sucis.

A.: Admiranda certe est natura apum.

N.: Immo admirandum sane artificium est in mellificio. Dicuntur etiam ducere examina.

A.: Sicut nos in schola nostra?

N.: Minime, sed novam progeniem emittunt.

A.: Quid praeterea observas in apibus?

N.: Permulta; sed nunc sufficet duo adhuc meminisse.

A.: Dic, quaeso!

[34] Cfr illud distichon proverbiale:

Laudat alauda Deum, dum sese tollit in altum;  
dum cadit in terram, laudat alauda Deum.

N.: Habent aculeum, cuius emissione nocere possunt cuti, et formant ceras tenaces.

A.: Age, simus cera tractabiliores!

#### 8.4 De ingenio

A.: Salve, Nicolae ingeniose!

N.: Cur me vocas ingeniosum?

A.: Quia es ingenio acuto.

N.: Ego sane nullum mentis acumen in me deprehendo.

A.: Sufficiet alios id deprehendere.

N.: Nec tuum ingenium est tardum ac obtusum.

A.: Falleris, Nicolae; non enim habeo ingenium in promptu, ut cogitando facile possim quidvis adsequi.

N.: Certe tamen iudicium tibi non deest.

A.: Vnde hoc colligis?

N.: Quod non cares iudicandi sollertia.

A.: Crede mihi, Nicolae: si, quod verum est, fatear, neuter nostrum habet, cur se efferat.

N.: Facile tibi adsentior.

A.: Ergo nos de nobis sentiamus demisse.

#### 8.5 De mendacio

N.: Cur heri non fuisti in schola?

A.: Carebam calceis.

N.: Mentiris; nam vidi te ambulantem in foro.

A.: Rogo te etiam atque etiam, ne dicas praeceptori.

N.: Ergo mentitus es.

A.: Fateor; modo praeceptor non resciat!

N.: Deus tamen noluit.

A.: Ille me non caedit virga.

N.: Gravissime erras. Noli irritare ad vindictam Deum, severum iudicem, cuius virga peccatoribus aliquando erit intolerabilis!

A.: Etiam mendacibus?

N.: Omnino; nam imitantur diabolum, spiritum mendacissimum.

A.: Non mentiar posthac.

N.: Faxit Deus, ut serves promissa!

#### 8.6 De furto et mendacio

N.: Vbi et a quo accepisti illum anulum, Arnolde?

A.: Inveni eum in platea.

N.: Quando?

A.: Nudius tertius, quum venirem e templo.

N.: Sed ego illum adhuc heri vidi in digito amitae tuae, Sabinae.

A.: Illa eum fortasse amisit.

N.: Mendacem oportet esse memorem. [35]

A.: Cur me vocas mendacem?

N.: Non solum es medax, sed etiam fur.

A.: Quid abstuli?

N.: Anulum.

A.: Id vix probabis.

N.: Iam satis probavi; immo tu ipse probasti, seu confessus es.

[35] Cfr QVINT. 4,2,91.



- A.: Quibus verbis?  
 N.: Credisne me anulum heri vidisse haerentem in digito amitae tuae?  
 A.: Id non negabo.  
 N.: Quando vero tu eum invenisti in platea?  
 A.: Ante tres dies.  
 N.: Ecce mendacem sui immemorem, qui invenire potest, antequam aliquid amissum est!  
 A.: Fateor furtum et mendacium.  
 N.: Sane pudeat te utriusque, in primis mendacii, quod turpissime a te iteratum est!  
 A.: Crede mihi: non solum facti me pudet, sed etiam paenitet atque piget.  
 N.: Vtinam serio!

8.7 (Colloquium septimum cum sexto in unum contractum est.)

### 8.8 De ira et odio

- N.: Cur irasceris, Arnolde?  
 A.: Titius me fuste percussit.  
 N.: Putabam Titium esse amicum tuum.  
 A.: Ex amico factus est inimicus, odio dignus.  
 N.: Erras, Arnolde; nam debemus etiam hostes nostros diligere.  
 A.: Sed illi nos non diligunt.  
 N.: Nec nos Deum amavimus; et ille tamen nos amat impense, ut ipsum redamemus et simul amore complectamur inimicos nostros.  
 A.: Bene mones. Ignoscam Titio ipsumque amabo.

### 8.9 De animo ingrato

- A.: Vnde accepisti novum istum librum, Nicolae?  
 N.: Ab avunculo meo.  
 A.: Num ipsi gratias egisti?  
 N.: Oblitus sum, nec opus fuit gratiarum actione. Non enim postulavit eam avunculus.  
 A.: O ingratum hominem, qui non vult gratias agere, nisi exactas! Fuitne tibi gratus liber?  
 N.: Fuit omnino, et adhuc est.  
 A.: Vide impudentiam tuam! Liber est **gratus** tibi, tu vero es **ingratus** erga eius datorem.  
 N.: Agnosco errorem ac vitium meum.  
 A.: Sed ita illud agnosce, ut emendetur!

### 8.10 De maledicentia

- A.: Cur tam tristis incedit Valentinus?  
 N.: Luit poenam linguae.  
 A.: Qualem habet linguam?  
 N.: Maledicam, qua conviciatus est fratrem suum.  
 A.: Quomodo?  
 N.: Vocavit eum asinum et hominem nequam. Reliqua convicia taceo.  
 A.: Fortasse par pari rettulit maledictis lacessitus a fratre.  
 N.: Minime; frater eius neminem solet incessere probris; neque, si illum incessisset, id ipsum excusaret. Nam maledictis et malefactis par pari referre Christiana lege vetitum est.



## 9. DECVRIA NONA: DE CENA

CHRISTIANVS et POLYCARPVS

### 9.1 De instruenda mensa

- C.: Sterne mensam, Polycarpe, eamque rebus necessariis instrue!  
 P.: Iam factum est; sed mappulae manuales sunt immundae nec satis  
 conveniunt recenti seu mundiori mappae, quam mihi mater sup-  
 peditavit e cista.  
 C.: Haec cura esto matris; modo mundi sint orbes, nec neglegatur  
 appositio panis, salini et poculorum.  
 P.: Omnia parata sunt.  
 C.: Cura, ut apponantur cibi!  
 P.: Ecce, iam adfert famulus fercula.  
 C.: Mallem ipse esse dapifer.

### 9.2 De ciborum varietate

- C.: Qualis est hic cibus? Videtur esse crudus.  
 P.: Erras; est coctus seu elixus.  
 C.: Ego mallem assum edere.  
 P.: Quidni et frixum? scilicet pro palato tuo delicato, quod vel  
 sola pulte contentum esse debebat.  
 C.: Nec tantum mihi est fastidium cibi vilioris, quantum mihi  
 tribuis; non recuso tamen carnem grati suci ac saporis, in  
 primis recentem ac iurulentam.  
 P.: Cur non etiam fumo induratum aut muria conditum?  
 C.: Quia confectu est difficilior et parum habet nutrimenti.

### 9.3 De situ ac potu

- C.: Fauces meae iam arent siti.  
 P.: Igitur eas riga!  
 C.: Nemo est, qui mihi potum ministret.  
 P.: Esto tibi ipsi minister!  
 C.: Neque adest cerevisia, nisi admodum tenuis seu secundaria.  
 P.: Talis potus convenit pueris et litterarum studiis; nam cere-  
 brum haud tentat aut turbat.  
 C.: Sed acescit.  
 P.: Mentiris; est defaecata, bonae notae ac grati saporis.  
 C.: Ergo bibam cerevisiam, tantopere laudatam.  
 P.: Ita vero, ne poculum sine respiratione exhaurias. Desine, de-  
 sine, Christiane, ut circumagatur seu obambulet poculum et  
 nobis quoque nostra portio supersit!  
 C.: En, capesse!

### 9.4 De fame et edacitate

- C.: Cur tam avidè voras, Polycarpe?  
 P.: Vehementer esurio; **fames vero optimum est condimentum.** [36]  
 C.: Si esuris, ede, nec vora distentis buccis, ita ut plenos ac  
 dentibus non comminutos bolos deglutias, et quidem seposito  
 pane; nec tantum cibi in osingere!  
 P.: Sed sapit egregie.

[36] Cfr CIC. Tusc. 5,97; WANDER, s.v. Hunger 18.



- C.: Ergo seda saporem paullatim, nec te obrue nimia ingurgitatione cibi!
- P.: Morem tibi geram.
- C.: Vide, quam foede te inquinaveris cibis ex ore defluentibus!
- P.: Abstergam me mappula.
- C.: **Gestus edendi mundus esto atque modestus.**

### 9.5 De sale

- C.: Porrige salinum, Polycarpe! Nam hic cibus insulsus est, seu caret sale.
- P.: Mihi quidem videtur esse praesulsus seu nimium habere salis.
- C.: Certe subsulsus est, seu aliquantulum habet salis.
- P.: Edamus, desinentes disputare de sale, ne quis utrumque nostrum iure vocet insulsum, hoc est: sapientiae sale haud conditum!

### 9.6 De ovis

- C.: Quaenam gallina peperit haec ova?
- P.: Nostra.
- C.: Illane, quam heri vidimus ovis incubantem?
- P.: Alia est. Illi vero ova ideo supposita sunt, ut inde pullos excludat.
- C.: Hoc videre gestio.
- P.: Videbis; sed nunc vide, ne fracta testa diffluat ovi albumen cum vitello!
- C.: Tu vero disce, quid significet proverbium: **mali corvi malum ovum!** [37]
- P.: Eius sensum tibi explicabo, si mihi exposueris aliud de ovo proverbium, nempe **ab ovo usque ad mala.** [38]
- C.: Hoc est: a cenae principio usque ad finem. Nam apud veteres ova incipiebant cenam, poma claudebant.
- P.: Certe **non ovum ovo est similis** [39], quam tu bono interpreti, qui ne quidem eges prioris adagii explicatione.

### 9.7 De adventu convivae

- P.: Accede, Christiane! Nondum enim te absente omnia sunt peresa.
- C.: Ago gratias pro invitatione vestra. Fames me non exstimulat.
- P.: Nihilominus adiunge te nobis convivam et ede, quantum libet!
- C.: Salvete, fautores et amici! Bene sit vobis cenantibus!
- P.: Et tibi nobiscum cenaturo! Occupa hanc sellam aut istam, ubi tibi erit sedes commodior!
- C.: Gratulor mihi de vestra societate et amicitia.
- P.: Et tu nobis es gratus. Sed longe eris gratior, si expedito cultro ipse manum admovebis patinae.
- C.: Facio, quod imperatis.
- P.: Non imperamus, sed rogamus amicum amice.

[37] Cfr H. BEBEL, Proverbia Germanica, n. 47.

[38] Cfr HOR. sat. 1,3,6 sq.

[39] Cfr QVINT. 5,11,30.



### 9.8 De cancriis

- C.: Restant cancri, Polycarpe.  
 P.: Sed hi tibi non sunt destinati.  
 C.: Ex parte tamen.  
 P.: Credo equidem, si sciveris proverbia quaedam de cancriis.  
 C.: **In morem octipedis procedunt omnia cancri.** [40]  
 P.: Video te esse doctum, immo doctiorem Sempronio.  
 C.: Certe **cancrum lepori comparas.** [41]  
 P.: Immo tu doctissimus es.  
 C.: Quid iocaris?  
 P.: At cur Sempronium vocas leporem, te autem cancrum?  
 C.: Absit illa interpretatio, a re ipsa et a mente mea aliena!  
 P.: Sed edamus! Nam loquentibus nobis dati sunt cancri.  
 C.: Aut potius cancelli.

### 9.9 De philosophica temporum interpretatione

- C.: Quid didicisti hodie in schola, Polycarpe?  
 P.: Quid hoc ad cenam?  
 C.: Permulum; omnis enim cena condienda est aliqua lectionum repetitione.  
 P.: Didici ex coniugatione prima **praesens, imperfectum, perfectum, plusquamperfectum** et **futurum.**  
 C.: Videris mihi simul philosophari, Polycarpe.  
 P.: Egone? Vix credo.  
 C.: Sin minus, me audi philosophantem!  
 P.: En ausculto arrectis auribus attentaque mente.  
 C.: Omne **praesens** in hac vita est **imperfectum**, nonne?  
 P.: Nondum satis percipio mentem tuam; sed perge philosophari!  
 C.: Omne **perfectum** et **plusquamperfectum** est **futurum**, scilicet in vita aeterna.  
 P.: Nunc te intellego, philosophe.  
 C.: Quae quum ita sint, **praesentibus**, quae **imperfecta** sunt, ita utamur, ut frui possimus **perfectis** et **plusquamperfectis**, certo futuris!

### 9.10 De mensa secunda seu bellariis

- P.: Surgamus, Christiane, et adstemus mensae mox cibos seposituri!  
 C.: Exspecta parumper, mi Polycarpe! Nam video in proximo conclavi instrui patinam uvis, pomis et nucibus.  
 P.: Sed non pro nobis.  
 C.: Quidni? Novi animum matris, quae nobis raro aliquid negare solet.  
 P.: Ergo roga illam demisse.  
 C.: Exspectandum est adhuc paullisper, donec appositum fuerit egregium illud ferculum.

[40] Cfr WANDER, s.v. Krebsgang 1.

[41] Cfr WANDER, s.v. Krebs 8 et 40.



## 10. DECVRIA DECIMA: DE REBVS CENAM INSEQVENTIBVS

PAEDAGOGVS et DISCIPVLVS TIMOTHEVS

## 10.1 De cantione

- P.: Porrige mihi librum cantionum, Timothee!  
 T.: Quem in usum?  
 P.: Vt canamus; solemus enim precibus, quibus Deo gratias agimus pro cena, addere unam atque alteram cantionem.  
 T.: Ego nondum possum canere.  
 P.: Discendum est, quod nescimus. Ipsi etiam angeli suo exemplo nobis musicam commendarunt.  
 T.: Quando et quodmodo?  
 P.: Nonne audivisti angelicam illam cantilenam: **Gloria in excelsis Deo** ? [42]  
 T.: Probe novi; et operam dabo musicae, quia tanta eius est praestantia.

## 10.2 De lectione sacri codicis

- P.: Vbi substitimus heri in lectione scripturae sacrae?  
 T.: In fine capituli quarti sancti evangelistae Ioannis.  
 P.: Vix credideram te notasse caput.  
 T.: Non solum illud notavi, sed etiam plurima, quae circa illud monuisti, adhuc memini.  
 P.: Pergemus nunc ad caput sequens legendum cum epitome praemissa.  
 T.: Totumne legam?  
 P.: Omnino; et quidem voce clara, tarda atque distincta, mente vero attentata ac pia.

## 10.3 De ambulatione

- P.: Tempus est eundi cubitum, Timothee!  
 T.: Vix audita est hora octava.  
 P.: Erras, mox audietur nona.  
 T.: Permite, quaeso, ut usque ad nonam hic maneam apud matrem!  
 P.: Vt discursare possis; novi enim morem tuum petulantem.  
 T.: Absit a me omnis petulantia! Tantum meabo paullulum, memor sententiae, quam nuper in schola discebamus.  
 P.: Cuius?  
 T.: **Post cenam stabis vel passus mille meabis**. [43]  
 P.: Sufficere possunt ducenti.

## 10.4 De repetitione

- P.: Para te ad repetitionem, Timothee!  
 T.: Putabam eam hodie omissum iri.  
 P.: Numquam omittenda est; nam crebra repetitio est quasi anima studiorum.  
 T.: Nec eam detrectabo; non poterunt tamen omnia repeti.  
 P.: Neque hoc postulo; sufficiat recognovisse singula summatim.  
 T.: Non invenies me imparatum.

[42] Cfr VVLG. Lc 2, 14.

[43] Cfr WANDER, s.v. Essen (Subst.) 26.



P.: Id experiar.

### 10.5 Aliud eiusdem argumenti

P.: Quid retenuisti e lectione sacra?

T.: Inter alia recordor e Matthaei capite tertio illa Ioannis baptistae verba: **agite, inquietis, paenitentiam; nam appropinquavit regnum caelorum.** [44]

P.: Quomodo interpretatus sum vocem **paenitentiae** ?

T.: De mentis nostrae immutatione ac renovatione.

P.: Efficiat Deus, ut experiaris re ipsa, quod nuda tenes notitia! Quid e grammatica et aliis lectionibus observasti?

T.: Permulta, crede mihi!

P.: Non sum tam credulus, antequam probaveris diligentiam tuam.

T.: Eam tibi satis probabo.

### 10.6 De precibus vespertinis

P.: Posthac repetamus plura! Repetitioni succedant preces.

T.: Quales? Num ex praescriptis formulis an ex libero animi adfectu verbis citra praemeditationem conceptis seu prolatis?

P.: Vtinam orare posses modo posteriori, qui saepe melior est priore!

T.: Rursus tentabo, sicut alias facere consuevi.

P.: Consuevisti; quod non omnino approbo; non enim consuetudo, sed intimus animi adfectus nos ad preces impellere debet.

### 10.7 De exuendis vestibus

P.: Sine mora exue vestes, Timothee!

T.: Exuam, ut praecipis, et quidem celeriter, urgente somno.

P.: Esto autem simul memor dicti Paulini: **Exuite veterem hominem!** [45]

T.: Sed quid est homo vetus?

P.: Homo vetus, ut saepe audivisti, est naturae nostrae labes, a prima nostra origine attracta; haec magis magisque exuenda est.

T.: Sed quomodo, in primis sub noctem?

P.: Ita, ut in conscientiae examine exploremus praeteriti diei acta variaque nostra errata et ea serio emendemus.

T.: Quomodo autem sit ea emendatio?

P.: Vera agnitione, demissa deprecatione et serio proposito emendationis.

### 10.8 De lecto

P.: Confer te in lectum tamquam ad letum!

T.: Quid significat letum?

P.: Mortem.

T.: Putasne me hac nocte moriturum esse?

P.: Non quidem hoc arbitror; fieri tamen potest, ut moriaris.

T.: Ego potius dormiam.

P.: Sed somnus est mortis imago. [46]

[44] VVLG. Mt 3,2.

[45] Cfr VVLG. Eph 4,22; Col 3,9.

[46] Cfr CIC. Tusc. 1,92; WANDER, s.v. Schlaf 9.



- T.: Fortasse respicis versiculum:  
**Stulte, quid est somnus gelidae nisi mortis imago?** [47]  
 P.: Hunc ipse respice, mortemque ac sepulcrum tuum meditare! [48]  
 Sic non eris stultus, sed sapiens.

### 10.9 De nocte

- P.: Composuistine te ad somnum?  
 T.: Vtique me composui.  
 P.: Ergo obdormisce! Mox exstinguetur candela.  
 T.: Sic atra nox me terrebit.  
 P.: Non habebimus noctem obscuram, sed sublustrem.  
 T.: Ego nihilo minus terreor.  
 P.: Cape somnum oculis et timorem Dei, fiducia plenum, animo! Sic nullus erit terror tenebrarum.

### 10.10 De custodia angelorum

- P.: Quid te adhuc iactas in lecto, inquiete?  
 T.: Fortasse ducam totam hanc noctem insomnem.  
 P.: Qua de causa?  
 T.: Metus mihi adimit somnum.  
 P.: Quid metuis?  
 T.: Tenebras, immo mures et spectra. [49]  
 P.: Omitte istum metum, nam vanus est! Habes sanctos angelos custodes. [50]  
 T.: Vbi sunt? Eos non video.  
 P.: Nec possunt videri; tamen revera adsunt et pro nobis agunt excubias.  
 T.: Experiar, an capere possim somnum.  
 P.: Quiesce placide!  
 T.: Ego tibi quoque, carissime praeceptor, placidam noctem apprecor.

[47] OV. am. 2,9,41.

[48] Cfr annot. 23.

[49] Cfr verba eius hymni, qui incipit a verbis "Te lucis ante terminum": Procul recedant somnia / et **noctium phantasmata**.

[50] Cfr VVLG. Ps 90(91),11 sq.

1.	DECVRIA PRIMA: DE REBVS MATVTINIS.	75
1.1	De salutatione.	75
1.2	De surgendi tempore	75
1.3	Aliud eiusdem argumenti	75
1.4	De induendis vestibus	76
1.5	Aliud eiusdem argumenti	76
1.6	Aliud eiusdem materiae.	76
1.7	De lotione.	77
1.8	Aliud eiusdem materiae.	77
1.9	De precibus	78
1.10	De ientaculo	78
2.	DECVRIA SECVNDA: DE RE SCHOLASTICA	78
2.1	De adventu condiscipuli	78
2.2	De lectionum initiis.	79
2.3	De libris	79
2.4	De praeparatione ad lectionem	79
2.5	De lectionis recitatione.	80
2.6	De attentione	80
2.7	De neglegentia.	80
2.8	De diligentia	80
2.9	De garrulitate et ineptiis.	81
2.10	De missione scholae.	81
3.	DECVRIA TERTIA: DE PRANDIO	81
3.1	De revocatione a lusu ad prandium	81
3.2	De praeparatione ad mensam.	81
3.3	De consecratione mensae	82
3.4	De iusculo.	82
3.5	De carne elixa.	82
3.6	De carne assa	83
3.7	De piscibus	83
3.8	De caseo et butyro.	83
3.9	De potu	84
3.10	De prandii fine.	84
4.	DECVRIA QVARTA: DE RE SCHOLASTICA POMERIDIANA.	84
4.1	De descriptione	84
4.2	Aliud eiusdem argumenti	85
4.3	Aliud eiusdem argumenti	85
4.4	Aliud eiusdem materiae.	85
4.5	De recitatione lectionis.	85
4.6	De repetitione.	86
4.7	De disciplina	86
4.8	De silentio	86
4.9	De praeceptoris absentia.	86
4.10	De testimonio diligentiae.	87
5.	DECVRIA QVINTA: DE REBVS SACRIS.	87
5.1	De scriptura sacra.	87
5.2	De creatione.	87
5.3	Aliud eiusdem materiae.	88
5.4	Aliud eiusdem argumenti	88
5.5	Aliud eiusdem materiae.	88
5.6	De morte.	88
5.7	De reditu in vitam.	89
5.8	De extremo iudicio.	89
5.9	De vita ac morte aeterna.	89
5.10	De desiderio rerum caelestium.	89
6.	DECVRIA SEXTA: DE VIRTVTIBVS	VOX LATINA n. 92: 211
6.1	De nomine Aretophili.	211
6.2	De auctore seu fonte virtutum	211



6.3	De sapientia . . . . .	211
6.4	De timore Dei . . . . .	211
6.5	De amore Dei . . . . .	212
6.6	De tribus virtutibus primariis iuventutis . . . . .	212
6.7	De amore veri . . . . .	212
6.8	De diligentia . . . . .	213
6.9	De virtutum exemplari perfectissimo . . . . .	213
6.10	De oppositis vitiis . . . . .	213
7.	DECVRIA SEPTIMA: DE REBVS VARIIS . . . . .	213
7.1	De horto . . . . .	213
7.2	De agro et messe . . . . .	214
7.3	De frigore et igne . . . . .	214
7.4	De pluvia . . . . .	214
7.5	De merenda . . . . .	214
7.6	De equis . . . . .	215
7.7	De canibus . . . . .	215
7.8	De morbo . . . . .	215
7.9	De voce et risu . . . . .	216
7.10	De quattuor coniugationibus . . . . .	216
8.	DECVRIA OCTAVA: DE REBVS VARIIS . . . . .	217
8.1	De via . . . . .	217
8.2	De alauda et luscinia . . . . .	217
8.3	De apibus . . . . .	217
8.4	De ingenio . . . . .	218
8.5	De mendacio . . . . .	218
8.6	De furto et mendacio . . . . .	218
8.7	(Colloquium septimum cum sexto in unum contractum est.)	218
8.8	De ira et odio . . . . .	219
8.9	De animo ingrato . . . . .	219
8.10	De maledicentia . . . . .	219
9.	DECVRIA NONA: DE CENA . . . . .	220
9.1	De instruenda mensa . . . . .	220
9.2	De ciborum varietate . . . . .	220
9.3	De situ ac potu . . . . .	220
9.4	De fame et edacitate . . . . .	220
9.5	De sale . . . . .	221
9.6	De ovis . . . . .	221
9.7	De adventu convivae . . . . .	221
9.8	De cancris . . . . .	222
9.9	De philosophica temporum interpretatione . . . . .	222
9.10	De mensa secunda seu bellariis . . . . .	222
10.	DECVRIA DECIMA: DE REBVS CENAM INSEQVENTIBVS . . . . .	223
10.1	De cantione . . . . .	223
10.2	De lectione sacri codicis . . . . .	223
10.3	De ambulatione . . . . .	223
10.4	De repetitione . . . . .	223
10.5	Aliud eiusdem argumenti . . . . .	224
10.6	De precibus vespertinis . . . . .	224
10.7	De exuendis vestibus . . . . .	224
10.8	De lecto . . . . .	224
10.9	De nocte . . . . .	225
10.10	De custodia angelorum . . . . .	225